

\*\*\*\* Dimidium enim Comitatum Nassouicum saltim possidebat, præcipue dynastias Idstein, Wisbaden & Weilburg vid. Textor *Nass. Chronic c. V. §. 42. &c. VI. §. 2.* Præterea Castellanus erat in castro Palatino Cuba, prout diploma docet apud Schilterum *Comment. ad ius Feud. Alemann. c. XXVI. p. 440.*

## §. II.

Post Rudolphi mortem, vacauit Imperium ultra nouem menses, eo quod inter Electores de noui Regis electione haut conueniret, multis Alberto fauentibus. \* Tandem Kl. Maii 1292. Francofurti electus est Adolphus Nassouius in Regem Romanorum, procurante potissimum Archiepiscopo Moguntino, Gerhardo, qui ipsius erat cognatus. \*\* Albertus vero Austriacus seductus a Suevis, per litteras & nuncios solennes vocatus est & rogatus ascendere Rhenum, spondentibus ei coronam regni, ac eligere eum in Regem Romanorum. Qui cum solenniter ascendisset, frustratus spe sua, receptis a Rege Romanorum feudis suis, in Austria fuit reuersus. \*\*\* Et licet postea Rex Adolphus filiam Alberti filio suo peteret vxorem, renuit tamen Albertus. \*\*\*\* Ipse vero Adolphus Francofurtenibus impensas reddere haut valens, \*\*\*\*\* nihilominus vna cum uxore sua Imagina, a Sigefrido Coloniensi Archiepiscopo in die Iohannis 1292. Aquigrani fuit coronatus. \*\*\*\*\* Dum autem ex consilio potissimum Gerhardi Moguntini ageret, dictus ideo der Pfaffen König. †

\* M. Chron. Belg. p. 261. Rudolfo defuncto, vacauit Imperium anno 6no, propter Electorum discordiam, quia quatuor Electores elagerunt Adolphum, Comitem de Nassau; sed Sigfridus Coloniensis, & Gerhardus Moguntinensis procurauerunt, ut haberet aduersarium: qui elegerunt Albertum, Ducem Austriae, filium diti Rudolfi, Regis Romanorum. Licet Moguntinus semper fauerit Adolpho. H. Stere vero ad a. 1291. XVIII. Kalend. August. mortuus est Rudolphus Rex ---- post quem intra tempus sex mensium electus est Adolphus Comes de Nassau in Romanorum Regem, miles multum strenuus. Verum a medio mense Iulii, defunctus Rudolphus, quo usque ad initium Maii ultra nouem sunt menses.

\*\* Ann. Colmar. ad a. 1292. prima Maii, Electores reliqui electionem in Moguntinum, tum presentem, transferunt. Maguntinus Comitem Adolphum de Nassau, cognatum suum eligit. Consentient reliqui, H. Stere ad a. 1291. 1293. Gob. Persona et. VI. c. LXVI. Roo lib. II. p. 52. Trithemius ad a. 1292. Erat autem hic Gerhardus Comes Eppsteinius, filius Elisabethæ Nassouiae, Walrabi amita.

\*\*\* Chron. Austr. ad a. 1292. Albertus Argent. p. 109. Mortuo Rudolfo & veniente Alberto, Duce Austriae, filio eius, (pro quo eligendo Principes Electores miserunt) cum magnis expensis, usque Hagonem, Adolfus, Comes de Nassau, in Regem Romanorum a Principibus Alemanniæ concorditer est electus, a quo idem Albertus de Feudis suis, presertim Ducatu Austriae inuestitus, in Austria fuit reuersus. Len. a Northof Chron. Com. de Marca p. 393.

\*\*\*\* Albertus Argent. p. 109. a quo Duce (Alberto) cum posteamisis legatis Rex peteret, filio suo Ducis filiam copulari: Dux respondit: se si posset ex filia sua facere Principem, hoc satlurum. Vel, quod Rex filiam suam hui ex filiis Ducis coniungeret, quem se Principem facturum promitteret. Ex quibus & aliis inter Regem & Duce, odium est subortum.

\*\*\*\*\* Ann.